

Scriptores arithmetici, qui de computatione vsurarum et interusurii praecipunt, inde a longo tempore circa solutionem huius quaestionis:

Sors quaedam in foenus elocata vna cum vsuris inde percipiendis aequis annuis pensionibus redditur, ita scilicet, vt per certum annorum numerum quotannis summa aequalis, quum pro vsuris tum pro restitutione sortis, exsoluatur, quaeritur summa pecuniae ab initio mutuo datae et acceptae;

nec non et illius, quae ista ipsa, inuersa modo, est:

Si sors aliqua in praesens debita aequis pensionibus annuis dissoluenda est, quaeritur summa quotannis persolueda, vt post certum annorum numerum, totum, quod debebatur, vna cum vsuris ex repraesentationis mora enatis exhaustum sit;

propositis diuersis eas quaestiones resoluendi formulis, in varias abiire sententias. Litem nec nouissimis temporibus esse compositam, neque adhuc rem adeo ad liquidum perductam, vt nullum dubium circa genuinum resolutionis modum superfit, arguit recentissimus, quaestiones istas inter multas alias versans liber *), tradita iuxta veram et solam probandam formulam etiam minus exacta fallaeque interusurii computationi innixa **). Quae quidem formularum diuersitas facile tolerari vel omnino negligi posset, si res intra fines merae contemplationis consisteret, nec cum vsu hominum coniuncta

*) *Brune Kurzgefasste Darstellung der einfachen und zusammengesetzten Zinsrechnung. Lemgo, 1813.*

***) *l. l. Abschnitt I. §. 26. Abschn. II. §. 31.*